Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26301
Copyright: Admont, Benediktinerstift

BIBLIOTHECA ADMONTENSIS

De natiuitate et actione passione et resurrectione atque ascensione. Mo-
riens ergo indigestum dereliquit hoc opus et in cartulis scriptum. Postea
turcius asterius uir clarissimus ad omnem elegantiam illud ordinauit.
ad legentium utilitatem publicauit. Scripsit autem hanc epistolam ad macedo-
nium tunc temporis presbyterum. qui sapientia et nobilitate preminebat. Mos
enim erat apud antiquos ut scripturam suam sapientibus et nobilibus conferrent.
ut eorum auctoritate roborarentur et ab emulis tuerentur. Notandum autem
quod hos libros primum prosaice et tunc metrice composuit. Sciendum autem quia
omnis orator aut poeta faciens suum librum. debet facere prefationem. dein-
de orationem. Postea textum incipere sicut iste facit. Est enim prefatio sedulii.
Cum sua gentiles studeant. usque ad omnipotens eterne deus. Deinde oratio usque
Primus ab usque chao. Textus autem a primus ab usque chao usque in finem.
Sedulius autem exceptis his tribus fecit inuitatorium ut non dedignarentur
legere quis libellos suos. Prologus grece latine prefatio. id est ante locutio.
Prohemium grece latine principium dicitur. Prologus sedulii dicitur inuitatorium. Inuitat
enim in his uersibus lectorem ad legendum suum librum. Titulus dictus est
a titane id est a sole. Sicut enim titan id est sol radiis claritatis sue omnia
illustrat. ita titulus sequentia libri toti declarat. Clausarius
dictus est etiam titulus. quia sicut clauibus reserantur nobis interiora domus.
ita titulo manifestantur nobis interiora totius libri.

Hoc opus sedulius inter cartulas dispersum reliquit. quod recollectum adu-
natumque atque ad omnem elegantiam diuulgatum est a turcio ruffino aste-
rio quondam u. c. [uicari] ordinario atque patricio. Sedulius epistola macedonio